



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

20. Dies Januarii. Erubescere volutari in cœno, qui es è cœlo. D. Bern. Serm.
24. in Cant.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Januar.

Tessera.

51

Nihil? Cùm ex te nihil possis, quid restat, quàm ut te nihili facias? Cùm quovis momento possis reverti ad nihil, quid est, quòd te non existimes minus quàm nihil? Vis sapere? Hoc consilium sequere: ut sis aliquid Deo, esto tibi nihil, & imprime hanc menti Elegiam:

Pulvis & Umbra sumus: pulvis, nihil est, nisi fumus:

Sed Nihil est fumus; nos Nihil ergò sumus.

20. DIES JANUARIII.

Erubescere volutari in cæno, qui es è cælo. *D. Bern. Serm. 24. in Cant.*

Dei in ho- I. Intellexisti à teipso quid es; Audi
minem nunc Anime, quid à Deo acceperis.
beneficia. Ipla te Dei mens concepit: Idæa for-
mavit, Verbum expressit, Benevo-
lencia decrevit, Potentia in lucem dedit. Creatus es
homo, Deus te voluit intellectu præditum cùm
crearet, ut intelligeres quid acceptum debeas
Creatori. Quando matris in utero, materiæ in-
fundebaris Anime, quis tibi tunc primus labor
fuit? Opinor mundi opificem æmulari? Tu indi-
gestæ massam materiæ in corporis fabricam, inte-
riore, exterioraque structura mirabilem digessisti,
parvumque adeò tibi molitus es mundum. Ha-
bet sua elementa, suum cælum, & astra tua. In eo
regnas opifex, idem, & Monarcha. Magno quo-
que mundo dominaris; tibi factus est; & hunc

D 2

tibi

tibi tuum facis, dum similem formas. Quæ terra est tam diffusa, quæ regio tam vasta, quæ maria tam profunda, quæ rerum tanta varietas, & magnitudo, quam non & ambis subito, & cogitatione complecteris? Solem, lunam, & stellas, è sinu memoriae, temporis momento producis, & quod est mirum, inter te ipsum qua es imaginandi, intelligendi, concipiendi que virtute, pro arbitrio creas omnia, conservas destruis. Deum ipsum mundi Conditorum, apprehendis, tenes, & possides, bonâ ipsius gratiâ cûm lubet: & habes hoc stupendâ, imò invidendâ felicitatis, quod tibi invito Deum eripere nihil potest.

II. Intelligis quid à quo acceperis. Jam pondera, quomodo, quanto amore dedit omnia is, qui est omnia, tibi qui es Nihil. Cogita amorem Patri amici, sponsi, imò omnium, qui unquam fuerunt patrum, amicorum, sponsorum impensissimum, iunge Angelorum, Archangelorum, Seraphinorum omnium denique Angelorum ferventissimum: (a) adde omnes Deiparæ Virginis actus amoris, que elicuit, & illum imprimis, quo flagavit, & conflavit ecstaticum in Christi partu: plus dico, aggregat quotquot Christi voluntas creata, elicuit in hac vita amoris actus; scintillæ sunt ad immensum illud amoris incendium, quo Deus te creavit, & creaturam diligit. Et necdum amore, non dico ardes, sed necales, imò tepes? plus dico, friges? Fingamus creatorem nos nostra sponte, & nostro Marte, & arte, & audivisse nos de alio Deo in altero mundo, ea quæ nos de nostro Deo credimus: quis non cuperet habere talem Deum, & immenso stupore attonitus

(a) Doutermann amor increat, 999.

non miraretur & amaret tantam illius Bonitatem, & erga illius mundi homines benevolentiam, imò beneficentiam? Non igitur propterea quod nos creaverit, minuta est Bonitas ejus, nec debet diminui admiratio, & erga illum amor.

III. Nunc igitur vide, quàm sis totus De^{us}, qui totus es à Deo. Si suam colonus censer arborem, quam plantavit: si suam pictor, quam expressit imaginem: quidni Deus hominem suum sibi vindicet, quem è nihilo creavit ad imaginem, & similitudinem suam? Nam (ut scitè Philosophi) infinitè distant facere aliquid ex aliquo, & facere ex nihilo: ita jus, & dominium, quod habet Deus in suas creaturas, ut qui eas ex nihilo creavit, jura omnia alia infinitis partibus excedit. Hic ergò expende, quam ex hoc capite causam nullam habeas, aut jus possideas, vel in re minima, ut in niçtu oculi, motu digiti, aut sola anhelitus captatione, voluntati tuæ obsequendi: quoniam & æquitas ipsa, & leges omnes, tantum esse pronuntiant debitum, quantum fuit acceptum; quia verò à Deo accepisti quidquid es, aut potes: illud omne quodes, & potes, in ejus solius expendendum est obsequium, ejusquè nuru, & arbitrio vivendum. Ad hæc tua in Deum obligatio infinita est: infinitum autem terminus nullos habet, nihil excipit, locum nullum præterit: ut ne ullam in partem tutus sis, sed totus Dei. Cujus jus injustè violabit, qui quidquam (re nullâ exceptâ, sive opus externum fuerit corporis, sive internum animi) etiam minimam cogitationem non secundum Dei, sed suam voluntatem suscipere præsumet. Cum igitur non tantum ego totus sim Dei,

D ;

sed

sed Deus totus sit meus, quid superest, quàm ut illi soli consecrem id totum quod sum, quod habeo, quod possum, quod scio? Deinde cùm origo mei sit sursum è cælo, absit, ut me deorsum volutem in cæno, memor hodiernæ tesserae, & Poëtici moniti.

Despice corde solum, suspice mente Polum.

21. DIES JANUARIII.

Quis alius est noster finis, quàm per-
venire ad regnum, cuius nullus est fi-
nis. *S. August. de Civit. l. 22. c. 30.*

Quis finis I.
creatio-
nis.

CReavit te Deus in terra, sed non propter terram. Hæc igitur debet esse tibi prima memoriæ recordatio, mentis cogitatio, oris interrogatio: Cur creatus sum? Relege hujus diei tesseram, & intelliges, finem tuum esse aliquid, quod caret fine. Igitur terra tibi est pro exiguuo tempore hospitium, non pro omni tempore domicilium. Es hîc accola, non incola; es peregrinus, non civis; es advena, non domesticus. Hæc ergo vita, est via: hac imus in Patriam. A Deo egressio, redimus in Deum. Eò omnes, unde: ibi finis, unde principium. Eò moventur omnes, non omnes promoventur. Errant multi, vagantur plurimi. Vita est via ad Deum unica, sed habet infinita diverticula: hîc anfractus, ibi foveas, alibi præcipitia, ubique pericula. Ne igitur in principio viæ devies in via, sta hîc viator, & ad amantino caractere hoc cimenti im-
prime